



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Hilarion Abbas. 21. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**



nifices dedisset, & denique in craticulam abjecta esset lento igne crucianda; vidit è specu suâ, quâ delitescerat, CAPRASIVS, manifestâ in luce columbam cælo adventare, quæ & rore asperso ardore temperaret, & sero longè pulcherrimo caput victricis coronaret. Puduit vinci à virgine, & latere jam noluit, si talem se femina proderet. Abiectus proinde in preces oravit; si cælo placeret etiam virum in pugnam prodire, vellet, juberet, eo in loco fontem enasci. sanguinem se daturum, si aquam spelunca. Et dedit hæc aquam, sed quæ CAPRASIO cruentam sitim accendit. Hanc ut poneret, in urbem & in theatrum ad tyrannum properare, & jam palàm ostendere, non frustra tamdiu in pulvere privato exercuisse sese; denique non modò inter omnia tormenta sibi constare, sed & longè plurimos alios in eandem sententiam pertrahere, quibuscum omnibus capite ultimò truncatus effecit, ut exiguus aquæ fons in flumina sanguinis excresceret. *Ex Surio.*

*Ad evitandas diabolica pugnae molestias audenter assurgimus, si necessitatis ultima periculum providè pertractemus. Nam si repentinus ille atque terribilis adventus Christi perpenditur, quid erit in mûdo, ubi mens humana vel desipiens deletetur? S.P. Dam. l. 7. ep. 19,*

## S. HILARION ABBAS. 21. Octobris.

**M**ultum puer HILARION in ludo literario, plus apud D. Antonium in religiosâ scholâ profecit. Itaque anno ætatis XV. cælesti philosophiâ jam plenus, jamque vates, pectora hominum inspexit, absentia & longè post futura multò antè vidit. Mox magister etiam ipse sanctioris sapientiæ, fidei dogmata multos, multos mundi contemptum



temptum edocuit. Asellum suum (ita corpus familiariter convitio appellitabat) calcitrantem non hordeo (ut ipse dicere solebat) sed paleis sustentabat, hoc est, fame, siti, labore edomabat. Latrones vim meditates inferre viro, cælum errore viarum abductos totâ nocte delusit. Ipse quoque dæmonum ludibria non semel impunè risit; quin Plutonem quandoque cum curru suo per terræ hiatum ad inferos redire compulit, irridendum etiam suis tunc puto, utpote sine Proserpinâ, quam spectata verat, reducem. Jam sæpius ex humano domicilio eundem proscripsit, non ita tamen, quin virginem gravibus verbis castigaret obsidione jam liberam, quòd pro pudore non excubans aditum dæmoni Amori fecisset. Porro terram triennio ficientem pluviam beatam recreavit. Cruce serpentum morsus exarmavit. Draconem coëgit structum rogum conscendere, & suapte sponte victimam igni se dare. Talis tamen ac tantus mori timuit, & moriturus animam suam ita alloqui est auditus, *Quid egredi anima, quid times? septuaginta ipsos annos Christo meres, & mori times?* Audi hæc orbis: Hilariones timent mori. Nos, ah! quali morbo? risu emorimur. *Ex D. Hieron.*

*Va hominibus injustis, va impudentibus, va deliciis & voluptates sectantibus, va superbis. In ipso enim mortis articulo & angustiis inferni suo periculo discunt Dei timore nihil esse præstantius. S. Ephrem de Vita spirituali.*

S. MALCHUS CONF. 21. Octobris.

**N**ON latuit MALCHVM thesaurum esse virginitatem, tot prædonibus quot oculis expositum. Quare ut in tuto hunc collocaret, secum in